

**2001-04-10 –SS Ioannes Paulus II – Epistula ‘Gratissimas Recordationes’**

IOANNES PAULUS PP. II

***EPISTULA DATA  
LADISLAO S.R.E. CARDINALI PASKAI,  
PRIMATI HUNGARIAE  
ARCHIEPISCOPO ET METROPOLITAE  
STRIGONIENSI-BUDAPESTINENSI***

*Venerabili Fratri Nostro  
LADISLAO S.R.E. CARDINALI PASKAI  
Primati Hungariae  
Archiepiscopo et Metropolitae Strigoniensi-Budapestinensi*

Gratissimas recordationes qui adhuc intra Nos custodimus binarum pastoralium Nostrarum salutationum apud Hungariae communitatem ecclesiam atque nationem, qui iucunda pariter memoria recentius tenemus iubilaeum millenarium evangelizationis ipsius "Pannoniae Sacrae", mentem hodie Nostram et paterni animi adfectum in unam intendimus Ecclesiam Strigoniensem-Budapestinensem quippe quae brevi tempore sit etiam suorum primordiorum anniversarium eventum commemoratura, millesimum scilicet a condita eadem dicatione ecclesiastica annum.

Salutationem igitur hanc Nostram suo prope iure archidioecesis tua, Venerabilis Frater Noster, sibi meretur utpote quae alios inter proprios titulos eum etiam prae se ferat: "*Regni Ecclesiarum prima et magistra*", ut verbis clari Decessoris Nostri Nicolai Quinti utamur. Peculiari ideo benevolentia vos hoc tempore cogitamus, singulari cum consolatione vestram spectamus saecularem erga Cathedram Petri fidelitatem, unica quadam gratulatione hoc perseverantis fidei vestrae testimonium mille ipsos productum annos amplexamur.

Non vero minore mentis Nostrae studio vocisve vigore provocamus eandem vestram primatiam communitatem, quam alius item Noster Decessor Silvester Secundus "in metropolim suae subscriptionis auctoritate" sanxit mille videlicet abhinc annos, ut inter tot nostri temporis minantes religioni illecebras, inter tam gravia traditae christianae pietatis pericula, facem revera attollat «Capitis Matris et Magistrae aliarum ecclesiarum Hungariae» praeferatque simul ceteris ibidem gregibus in exemplum illuminatae fidei ac renovatae christianae consuetudinis, solidorum catholicorum morum ac studiosae progressionis.

Hoc solo nimirum modo millenaria excitatae archidioecesis Strigoniensis celebritas, quam procul Nos intenta voluntate velut praesentes die huius Aprilis mensis undetricesimo sectabimur, certos fructus adferet in Hungarorum catholicorum vitam deinceps atque operam evangelicam.

Hanc denique salutationem tibi, Venerabilis Frater Noster, tuoque fideli clero ac populo inscriptam atque fervidam vestro de iubilaeo millenario gratulationem comitari omnino volumus Apostolicam Nostram Benedictionem, qua ipsius Beatissimi Petri in suprema sede vobis caelitus adprecatur necessaria cuncta adiumenta praesidia lumina ad proximam pari laude ac prosperitate mille annorum aetatem percurrendam.

*Ex Aedibus Vaticanis, die X mensis Aprilis, anno MMI, Pontificatus Nostri vicesimo tertio.*

IOANNES PAULUS PP. II